

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Sleker Henricus Hambruggius

## **Principiis Animatorum Et Psychologiae Subiecto : Disputatio Publico**

Rostochi[i]: Pedanus, 1614

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729136892>

Druck Freier  Zugang



F. Sleker.  
R. U. phil. 1614.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn729136892/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729136892/phys_0002)

DFG

D. T. O. M. A.  
DE  
**PRINCIPIIS**  
**ANIMATORUM**  
ET PSYCHOLOGIÆ  
SUBIECTO

*DISPUTATIO PUBLICA*

In Inclita Academia Rostochiensis

PROPOSITA



**M. JOHANNE SLEKERO,**

*Phys. P. P.*

RESPONDENTE

**HENRICO HAMBRUGGIO**

*Stadenſi.*

Habebitur disputatio in auditorio majori

14. Maij.



ROSTOCHI

*Typis Joachimi Pedani, Acad. Typ.*

ANNO M. DC. XIV.



THE SIS. I.

**S**ychologia est Scientia rei animatae, quatenus animata est.

[1. Scientiam dico, rei, hoc est, affectionis seu proprietatis (non autem subjecti, quod perperam multi volunt) cognitionem, per causam, propter quam affectio illa subjecto inest, & de eodem demonstrati potest. 2. Psychologia ergo est cognitionis affectionum & operationum, quae animatis, proprietate nativa, primò, per se & adaequatè competunt. 3. Cognitionem, inquam non qualemcunq;, sed accuratam: qualis est per designationem causa. 4. Affectionum & operationum; secutus Arist. Idq; ut intelligas, esse quoddam in his discrimen (sunt enim affectiones, quae operationes non sunt; & rursus) sed tale ut operationes quædam & affectiones, in affectionum proprietatumq; veniant censum (vide infra th. 7.) adeoq; Goclenij inter hæc distinctio nulla vel tanta non sit, ut communicationem jdiomatum patiamur ea turbari.]

II. Eadem physice pars vera, dignitate prima, sed ordine posterior.

[1. Vera. Id patebit è subjecto; quod Generalis physicæ subjecti (corporis naturalis) species est; & quidem sub eodem modo considerandi, nempe Naturā. 2. dignior. Nam & ipsum cœlum animatis inferius est. 3. posterior: quod à communi sententia descendens Keck. l. 3. phys. c. 8. non gravibus ut ipse ait, sed falsis & levibus argumentis inductus, negat.]

III. Quaq; communi Scientiarum lege, methodo atq; ordine tractata, notionē Subjecti, principiorum, affectionumq; absolvitur.

[1. In his enim tribus momentis omnis consistit Scientiæ & demonstrationis ratio: 2. Ut neq; sine illis Scientia esse possit: 3. Neq; ubi illa sunt (sunt autem in psychologia) scientia deesse poslit.]

IV. Subjectum ergo, est corpus animatum, qua tale: Idq; eodem sensu vivum dicimus.

A

Hic

[Hic 1. mihi sumo, quod hodie invitit licet Platonis (neq; meliore Sapientia locutus Seneca,) nemo facile negaverit, *animatum* esse & dici, totum illud, quod essentiali, corporis & animæ unione est constitutum. 2. Et tum dico, *Animatum* esse rem illam, cuius propriæ affectiones h̄ic cognoscendæ veniunt, per sua principia: cuius distinctam cognitionem quærimus: & quo totius phychologiae nititur structura: Idq; non sub alio modo considerandi (plures enim sunt) quām *quatenuis animatum* est. 3. Omne ergo principium; omnis affectio; omnis species; omnia item singularum specierum principia & affectiones; atq; adeò quicquid in complexum hujus scientiæ per se venit, nullo alio jure titulove venit, nisi quā vel corporis animati affectio est; vel affectionis demonstrandæ principium est; vel corporis animati species. 4. Et hoc est quod sibi vult modus ille considerandi: cuius energiam profert illud *quatenuis*. 5. Quicquid ergo hujus quasi monetæ est, id omne legitimū phychologus habebit. Quicquid ab eo abludit, ut adulterinum repudiabitur. 6. Eoq; non præjudicio sed vero judicio mox ingrediemur questionem, Ecquid Intellectus etiam hujus scientiæ sit, nec ne? 7. De vita quod additur, suo loco disputabimus.]

*V. Animatum istud, seu vivum, sit, Quod sit & Quid sit quantum ad præcognita fatis, ex tacito hominum, de vita loquentium ac cogitantium, consensu præsupponimus.*

[1. Publica enim affectionum operationumq; illarum notitia; (2) quæq; in hominibus, brutis ac plantis depræhensæ, viventium appellationem his ipsis fecere propriam: (3) quarum & præcognitione instructum ad scientiam hanc venire oportet (+) quod & commodissime fieri potest, cum vel in sentiendi actibus consistant, vel sensuum indicio (vide th. 7.) pleræq; nitantur.

*VI. At vero propter quam causam, quove principio affectiones istæ vitales corpori animato insint, ita ut minime illi inesse non possint; hoc inquam est, in quo scientie hujus ratio, & omnis psychologi defigitur Intentio.*

[Perspicua hæc illi, qui in scientiarum perlustranda natura demon-

demonstrationis dioptra uti recte novit. Absq; hoc sit, & hercile etiam in media harum assertionum luce tibi merae erunt tenebrae. In omni quippe Scientia sunt tria illa, de quibns th. 3. actum. In quibus & ipsa scientia posita est: quæ aliqua sui cognitione (confusa inquam) scientiam ipsam antevertunt (unde & *Præcognitæ* dicuntur) quorum tamen gratia omnis illa demonstrationis opera suscipitur; & ad quæ (distincte cognoscenda) tanquam ad scopum intenditur animus (hinc Intentionis efflorescit designatio) ut nempe appareat propter quam causam affectio nota, subjecto item noto insit, ita ut non possit non inesse. vide i. Post.]

VII. Sunt autem affectiones & actiones hæ, alimentum intus recipere, receptum concoquere, concocto nutriti, augeri, simile quippiam ex se generare, videre, audire, vigilare, dormire, & alia que homini de se aut cognatione quadam naturæ sibi junctis cogitanti, ignota esse non possunt.

[Quæ vero, quibus animatis, & quomodo competant, suo loco patebit. Hic illud agendum est ut ex his effectis ita quædantibus præcognitis ipsa eorum innotescat principia. Quibus inventis & clara in luce positis, tum utiq; promptum erit admiciculo illorum principiorum ad distinctam ipsarum affectionum regredi cognitionem. 2. Nimis hoc est quod de Regressu docetur, illo inquam instrumento Logico, quo ab effectu confuse cognito progredimur ad causam: qua inventâ, sed obscuritatis adhuc nube testâ, consistamus paululum; & utriusq; (causa inquam & effectus) institutâ comparatione, negotiatione hac & mentis lucta, notitiam cause eliciamus distinctam. Eaq; ipsa demum regrediamur ad affectionis diom (quæ latebat) conficiendam scientiam. 3. Agnosceis opinor tria quasi Regressu Logici spacia: quorum primum ac secundum age in principiorum hac psychologæ doctrina emetiemur.]

VIII. Ergo ne illud quidem obscurum est, has affectiones (quas th. 7. diximus) neutiquam rebus naturalibus omnibus esse communes.

[Inductione si placet, id constabit, cœli, clementorum, lapidum,

dum, metallorum. Nihil enim horum sentit, ambulat, nutritur, dormit &c. Et si quæ horum quibusdam ex illis competere videntur, rem obiter intuenti; aliud tamen videbitur si (suo loco fiet) accuratius ipsam nutritionis, accretionis &c. naturam perspicias.]

*X.* Plantis autem animalibus & homini sic competere, ut & omnibus (suo quodq; in gradu) & nunquam non insint, ita ut abesse etiam posse (salva per naturam, essentiâ) minime queant.

*X.* Quin & summam animatorum perfectionem in his affectionibus repositam esse: non sine decore totius universi.

*XI.* Quibus animadversis, Intellectus, naturali quodam judicio, & veluti ipsis veritatis appulsu, colligit, has illorum corporum proprietates esse, & per naturam seu principium internum ipsis debitas: Adeoq; de illa ipsa natura cogitationem suscipit, hoc est, principia querit & causas, propter quas rebus animatis ha proprietates insint.

*XII.* Ea principia, & hæc Natura, sunt ipsa cuiusq; materia & forma.

[i. Hæc enim intrinsice rem constituant (2) naturæ appellationem induunt, cum novo quodam considerandi modo; per relationem videlicet ad operationes affectionesq;, quæ essentiam constitutam emanatione quadam naturali insequuntur. (3) Et sic quavis in demonstratione materia rei & forma, principij munere fungi nequeant, quæ talia sunt; tamen cum ratione ista *Natura* causæ efficientis accipiunt indolem, & demonstrandis affectionibus aptantur. (4) Quibus tamen in demonstratione finem frequenter adjungi oportere, res ipsa docebit, nec demonstratio repugnat acrimonia. 5. Illa vero efficientium structura, quam Tipl. l. 4. Empsych. c. i. hic vocat, plane aliena est.

*XIII.* Nec quævis tamen materia & forma, sed certa & determinata; Corpus inquam organicum (quod materia,) & anima, quæ formæ rationem habet.

[Quæ enim in l. i. & 2. Phys. tractatur materia, forma, & natura;

tura; sic ab omnibus subjectis speciebus (perinde ut ipsum etiam corpus naturale generatim sumptum) abstracta sunt, ut omnibus communia, nulli propria sint; neq; certam essentiam vel consti-  
tuant, vel affectionibus privatim exornent, nisi contrahantur  
quasi, & singulatim cuiq; corpori naturali immergantur: mate-  
ria inquam & forma communis, ad hanc materiam, quæ corpus organicum; & hanc formam, quæ anima est. 2. Quin & quæ com-  
munibus illis generatim fuit tributa ratio, & modus, princi-  
piorum officio defungendi, ea ipsa in singulis privatim  
spectanda sunt: (3) ut v.g. corpus in potentia sit ad animam reci-  
piendam; anima in potentia sit ad corpus informandum; quæ  
mutuo isto amplexu corporis animati constituant essentiam; &  
motuum omnium quietisq; sint principia.]

XIV. *De corpore manifesta res est, ipso sensuum testimoniis, adeoq; hominum omnium consensu.*

[1. Neq; enim aliquam illarum actionum sine corpore edi; res ipsa loquitur. (2) Et hoc corpus, si cum metallo vel lapide col-  
latum intueare, dissimilem plane structuram ejus, ex membrorum & varietate & conformatione depræhendes. (3) Quæ cum in omnibus ejusdem generis eodem se modo habeat, à certa causa, & quidem ipsâ naturâ esse colliges. (4) nec frustra sic confor-  
mata esse, tum ex prudentia naturæ; tum vero ipso vitalium ope-  
rationum, (quæ illa partium varietate perficiuntur) intuitu judi-  
cabis. (5) ut dubij nihil restet, quin corpus edendarum illarum actionum causâ, tale sit: præsertim quod membris illis vel ab-  
latis, vel non recte se habentibus, ipsæ actiones vel nullæ sint vel læsæ.]

XI. *Animam vero ratio ostendit: perspectâ corporis ad edendas actiones hujusmodi, insufficientia, & stabilitâ jam de formis rerum essentialibus doctrinâ.*

[1. Quæ tamen ab operationibus viventium primitus educta, ad confessionem animæ in ordine formarum substantialium pri-  
mum deduxit (2) Præstantiores quippe sunt, quam ut à solo corpore, (3) vel accidente quoipiam superaddito profiscantur.

A 3.

4. Et:

(4) Et magno in primis argumento Animam evincit vitæ mortisq; commutatio, qua compositio illa ac figuratio corporis in cadavere aliquandiu (ad sensum) manens eadem, pristinæ tamen actionis, nec dignitatis aut de nominationis habet reliquum.

XVI. *Utrumq; incompletum, & consilio naturæ, ad tertium quoddam constituendum ordinatum.*

[1. Quod fit complexu illo mutuo & unione essentiali, per modum actus & potentiarum: (2) Cum transcendentali quadam relatione, & dependentia (3) ut neque corpus sine anima tale esse queat; nec anima talis sine corpore. (4) Neque enim corpus Organicum est, nisi quod ab anima informatum vitalibus actionibus inservit: neque anima, nisi quæ tale corpus animat. (5) Haud si ne proprietatum, quæ *owdūam* hanc sequitur, communicatio: (6) Et hoc est quod ait autor libri de causis, prop. 3. De proprietate animæ est ut vivificet corpora, quoniam influit super ea virtutem suam: Qua de re aliâs.]

XIX. *Et hoc tertium, est ipsum quod dicimus Animatum: cui & operationes adæquatè tribuuntur, ut subjecto; & ab eodem pro utriusq; partis ratione proficiuntur ut principio; singulatim unoquoquo operante quod suum est, ad commune apostolæma constituendum.*

[1. De Sensu manifeste Arist. I. de somn. & vig. c. I. *Senire* non animæ proprium, nec corporis, sed conjuncti. Quod sæpe inculcat I. an. t. 12. & 14. l. 3. ani. t. 54. &c. (2) Neque enim sine oculo videndi sensus nullus. Et tamen receptio speciei (quam solam præstat oculus) speculo, aqua, rebusq; politis alijs est communis, quibus tñ. *ērēgyas* videndi ascribere nefas sit. (3) Quia imò, receptio hæc specierum sensilium, annon sæpe ab oculo velut organo peracta esse deprehenditur, ut tamen objectum visu cognitum non sit? Nempe si anima quæ per oculum agit, non attendat. (4) Ut operæ quidem hujus primaria causa sic Anima; (5) Sed instrumento (oculo) necessariò devincta (6) qui oculus cum vera corporis organici; & hoc, vera animalis pars sit; plana res est, ob quam actio hæc totius animalis, merito habeatur. (7) Adeoque

(7) Adeoq; certissima in his affectionibus demonstrandis via sit, qua deductis ijs, quæ primum ex parte animæ (v. g. potentia viviva) quasi in medium conferuntur; tertio loco modus agendi (visio) ex ipsa utriusq; principijs conspiratione eliciatur.

XIX. Qui ductu vel exemplo Aristotelis principium utrumq; seorsim explicare voluerit; à corpore exorsus, recte predicitur ad animam; etiam in ipsis plantis.

[Recte enim Alex. i. an. c. 2. Si, quæ de anima dici possunt, nolumus implicare contradictionibus, primo loco apparatus corporis ab anima inhabitati, contemplandus est, & internarum invicem externarumq; partium cum ipso venustatis ac pulchritudinis concentu, lex & dispositio conquirenda. Sic enim fidem facile præstabimus illis, quæ de anima substantia, & tot motuum principia dicenda sunt. (2) Avicennæ vero argumentum (quo contrariam probare nititur sententiam) aperte falsum est, cum animam corpore ipso censet communiorum. Æque enim esse communia, certissimum est; cum per omne animatorum genus se mutuo amplexu, societate perpetua diffundant; eorumdem essentiam, paribus auspicijs, formæ materiæq; discretione constituant; affectionesq; promant. (3) Quamvis aliqua psychologiae tractatio institui possit, qua confusa quadam corporis notitia, (sensuum anticipatione & quotidiana observantia) contenti; alijs ad explicationem potentiarum operationumq; necessarijs, suo quoq; loco apte intertextis (qualis fabrica oculi v.g. in visione) ad ipsum animæ & affectionum vitalium considerationem rectâ viâ ingredi queamus.]

## Quæstio, de Subjecto liborum Aristotelis, τοι Ψυχῆς.

1. Sunt enim qui Animam ipsam velint; inducti primum inscriptione, (τοι Ψυχῆς) quodq; anima hic definiatur: eaq; secundum se in tribus his libris considerari dicatur, lib. de sens. & sens. ipsaq; anima notione tractatus hic distinguatur ab alijs. Quæ singula videri possint certa subjecti certi indicia.

2. At vero cum materiæ ex altera parte respondere debeat forma: In libris autem de partibus (qui materiam animati corporis complectuntur) de solis animar-

*animalium partibus actum sit*; videbitur in libris de anima, ejus formæ tractatio vernacula, quæ tali corpori respondet. Quod non obscure videtur præ se tulisse Arist. i. part. c. i. inquiens: postea (nempe libris ἡ Φυλῆς) se locuturum de Anima, qua *Animal* tale est. *Animal* ergo erit subjectum.

3. Tertia, veraq; sententia est, corpus animatum, in latitudine sua, psychologiz etiam Aristotelicæ, & horum etiam librorum esse subjectum. Quod ex ipsa subjecti natura patet. Verum enim subjectum est, cui (ut brevissime dicam) affectiones & principia competit primò & adæquatè. Hujusmodi non est *Anima*, utpote, qua principijs, non subjecti rationem habet. Non *animal*: utpote cui operationes vegetales ipsaq; anima vegetativa primò tribui nequeunt. Sed *corpus animalium*, quatenus ipsa etiam vegetabilia complectitur.

4. Neq; vero h̄c placet concilium, quo psychologiz quidem universæ *corpus animatum* subjicitur; libris vero de anima, *Anima* ipsa. Sunt enim hi libri *Psychologie* tantum pars: neq; peculiare subjectum admittunt; communi illo contenti; pari inquam cum reliquis libris (de sens. & sens. somno & vigilia &c.) jure: & conditione saltem in eo diversa, quod alij libri vel affectionum, vel materialis principij curam habeant; hi vero principij formalis, nimirum Animæ; qua & corporis illius forma, & affectionum causa est.

5. Ex inscriptione quod petitur, argumentum nullum est. Quanta enim quo apud Platонem & Aristotelem hujuscce rei varietas? Petitur enim à subjecto, à præcipua subjecti parte, ab Intentione, & scopo, à persona disputantis, vel cui disputatio sacra gratave esse debeat.

6. Intentionis ac subjecti distinctio, mirum, quid in his certaminibus possit. Est enim subjectum (ut iterum dicam) de quo affectiones inhærentes, per causam, propter quam inhærent, demonstrantur. Cumq; ei *affectiones & principia* adæquata & propria essi debeant; eo ipsa & scientia in sese constituitur, & partibus suis discriminatur, & ab alijs separatur.

7. Intentionis vero nomine id omne venit, quod in subjecti illius contemplatione versanti proponitur: & cui mentis suæ aciem intendit, quodq; definitum, demonstrandum, & quoquo modo cogoscendum sumit; principia inquam, affectiones &c. Sic in i. phys. *intentionis* est, principia investigare. In z. phys. definire naturam. In 3. motum. Ethices intentionis est summum indagare bonum, virtutis naturam, actionumq; moderandarum aperire rationem &c. quorum nullum subjecti jus sibi postulat. Ita inquam in lib. de Anima Intentio philosophi est, ipsam animæ essentiam indagare, qua repertâ, principij loco in demonstrandis corporis animati affectionibus (quas iterum libri parvorum naturalium, ut vocant, *intentionis* ratione possident) uratur.

8. At vero quod anima ipsa in se etiam considerata, affectiones quasdam habeat; easq; in his libris cognoscendas? Erit ergo subjectum suarum affectionum:

Et

Et secundum seipsum considerata (ut dicebat Arist.) non considerabitur ut principium.

9. Respondeo breviter: Tuac unum quodq; secundum se considerari, cum, quæ ei, quæ tale est, debentur, agitatione mentis perillustramus. Jam vero Animæ, quæ *anima*, adeoq; omnis formæ, quæ forma, in eo posita est ratio, utrem intrinsecus constitutæ (materiam actuando) & affectionum operationumq; sit causa. Ergo qui hæc de anima considerat, illam Secundum seipsum considerasse putabitur, et si id, quod in ea consideratur, in respectu positum sit ad aliud. Intentio quippe autoris facit, ut res secundum se considerari dicatur. Transcendentalis v. relatio ut absolutam rei naturam non evertit, ita & facit, ut rem secundum seipsum considerare licet, etiam tum, quando consideratur, ut est alterius (nempe principium vel affectio) vide Zab. de const. phys. c. 39.

10. Sint ergo propriæ quædam animæ; quorum ab anima dependentia sit, non tantum ut à causa, sed etiam subiecto: Attamen hæc illa ipsa sunt quibus instructa anima, principij rationem induit, & adæquati subiecti (corporis animati) pars est: Exemplo elementorum, prout in lib. de ortu & interitu considerantur; nempe ut sunt principia mixtorum: Quantunvis qualitates illas primas obtineant sibi proprias, & earundem sint subiectum. Ita nimirum & anima, eo ipso, quod potentia videndi audiendiq; &c. instructa sit, visionis auditionisq; in animali causa est, & principij rationem in hac scientia tenet.

11. Secunda opinio (th. 2.) nihil habet quod nos moretur. Nam & plantarum in descriptione partium habenda ratio est. Et non animalium tantum, sed animatorum principia in lib. de anima explicari planum est, ex illis quæ de anima vegetativa disputantur, quæ nempe animata omnia ab inanimatis adæquate discriminantur. Prudenter vero Arist. loco allegato mentione *animalium* contentus, ab eo abstinuit, quod nec ita manifestum erat, & illo ævo à multis negabatur; ne primo statim aditu, studio innovandi se auditoribus suspectum, redderet; quo nihil est à prudentia docentis magis alienum.

12. Constat ergo de subiecto psychologiæ; cuius affectiones Arist. compendio complexus de sens. & sens. c. 1. in communes & proprias distribuit. De quibus considerandum physico est, οὐ τὸν ἔργον αὐτῶν, νοῦ διατίνας εἰ τὰς οὐ μετανούσας. Quod principiorum sit beneficio, corporis inquam & animæ: quorum unione ac concordia tanto opifice digno virtutibus animæ singulis singula corporis organa desponsantur & inviolabili societate nubunt, secundo διπλασιαὶ τῶν quæ conjugium hoc sequuntur, proventu, & naturalis philosophi obstericatu, dignissimo.

#### C O R O L L A R I A.

1. Bellarm. l. 1. de amiss. grat. & stat. pecc. c. 12. §. 3. argute in analogia presidium sibi quarti; sed analogie naturam haud satis cognitam habet; nec animadvertisit quantum ex ea doctrina questioni praesenti paratum sibi sit in commodi. Analogia quippe substantia-

*Substantia & accidentia, peccati mortalis ac venialis (ut hoc presupponamus) attribu-  
tionis illius sunt, qua forma denominans intrinseca est in analogato utroq. (accidens u.  
verè ens est, & ens dicitur à propria entitate, quo ipsi accidenti intrinseca est,) ut ap-  
pellatio utrig. sit essentialis: adeoq; peccatum veniale, peccatum, analogia ista dici non  
possit, nisi sua natura verè peccatum sit. Que cum pluribus alijs non utilibus modo sed  
plane necessarijs ex Analogie de Trina (quondam nobis proposita à non nomine derisa)  
pendent: quorum è numero & hoc est, quod analogia attributiovis per formam intrin-  
secam, ad rationem univoci proxime accedant.*

2. Calviniani philosophi dum sacra caæ definitionem Lutheritam rigide impu-  
gnant, duplē accidentia definiendi modum ignorant, de quo Arist. 7. Metaph. &  
Thom. de Ente: & ad definitionem nominis Arist. l. *ad eam*: ablegandi sunt.

3. Regula consequentiariarum & syllogistica illationis etiam in S. S. Trinitatis my-  
sterio veritatem suam habent: sed nequit expositam illis, qui vulgariter modo Logi-  
cam docent & discunt.

4. Quarta figura Galeni admittenda non est: nec quicquam ad hanc questionem  
momenti attulit Gal. Ursinus in disp. phil. licet voluerit.

5. *Intellectus sua natura immaterialis & immortalis est.*

6. *Intellectum ex materia potentia esse eductum; vel impie dicitur, vel inscite.  
Neg. parum à vero absunt qui eductionem hanc è potentia materia, cum ipsa anime  
propagatione ac traduce confundunt.*

7. *Intellectus considerationis physice est: quantumvis Entia à materia abfra-  
cta sint alterius scientie.*

8. *Actiones morales ante & post habitum acquisitionis, ejusdem speciei sunt &  
contraria quam vult Piccol. in Ethicis: qui & in subjecto Ethicis assignando frustra est.*

9. *Si unum idemq; corpus in duobus pluribusve locis simul constituantur, pro-  
prietates quidem intrinsecae juxta naturam illi insunt ubicunq; etiam existat: aliquae  
tamen proprietates, etiam absolutas, habere potest in uno loco, quas non habet in al-  
tero: Et mutatio facta in uno loco, non fit (ex necessitate agentis naturalis) in alijs  
locis disjunctis, in quibus idem corpus existit.*

10. *Habitus fidei, & habitus scientie, specie inter se distincti, de eodem tamem  
objecito esse possunt: & in eodem etiam subjecto (Intellectu) simul esse possunt, etiam  
salva sui distinctione.*

11. *Keckermannii doctrina mystarum propositionum nulla est: nec intelligit, quid  
Aristoteli sit metatheoris eius ò. & .o. g. v. G.*

12. *Malum in privatione quando reponunt metaphysici, Et omne Ens bonum  
esse ajunt, recte sentiunt & loquuntur: nec quicquam tamen contra  
Theologorum de peccato confessionem.*

- 88 (8) 80 -





(7) Adeoq; certissima in his affectionibus dem  
qua deductis ijs, quæ primum ex parte animæ (a  
fiva) quasi in medium conferuntur; tertio loco  
(visio) ex ipsa utriusq; principij conspiratione e.


XIX. Qui ductu vel exemplo Aristotelis  
etrum seorsim explicare voluerit; à corpore ex  
greditur ad animam; etiam in ipsis plantis.

[Recte enim Alex. i. an. c. 2. Si, quæ de an  
nolumus implicare contradictionibus, primo  
corporis ab anima inhabitati, contemplandus es  
invicem externarumq; partium cum ipso veni  
tudinis concentu, lex & dispositio conquirenda  
facile præstabimus illis, qua de animæ substanti  
num principia dicenda sunt. (2) Avicennæ v  
(quo contrariam probare nititur sententiam)  
cum animam corpore ipso censet communior  
esse communia, certissimum est; cum per om  
genus se mutuo amplexu, societate perpetua di  
dem essentiam, paribus auspicijs, formæ mate  
constituant; affectionesq; promant. (3) Quam  
logiæ tractatio institui possit, qua confusa qu  
titia, (sensuum anticipatione & quotidiana obser  
ati; alijs ad explicationem potentiarum opera  
rijs, suo quoq; loco apte intertextis (qualis fab  
visione) ad ipsum animæ & affectionum vitali  
nem rectâ viâ ingredi queamus.]

## Quæstio, de Subjecto liborum τεῖ ψυχῆς.

1. Sunt enim qui *Animam* ipsam velint; induc  
(τεῖ ψυχῆς) quodq; anima h̄c definiatur: eaq; secu  
libris considerari dicatur, lib. de sens. & sens. ipsaq; animæ  
distinguatur ab alijs. Quæ singula videri possint certa subje

2. At vero cum materia ex altera parte responde  
bris autem de partibus (qui materiam animati corporis co



fit,  
vi-  
di-  
u-  
re-  
nt,  
tus  
um  
tri-  
em  
tio-  
um  
est,  
um  
um  
un-  
one  
ho-  
no-  
ten-  
effa-  
. in  
tio-

ione,  
hise  
as hic  
•  
In li-  
solis  
impo

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. 017